

vt cum hoc potius, quam cum illo copuletur: ergo tunc replet locum, ac spacium diuisibile, sicut antea; habetque localem extensionem, cui sua pars loci distincta correspondet alioquin cum coniuncta sit cum hoc, & illo extremo; erit in duobus locis.

4. Sentent. Doctoris.

Quarta sententia asserit substantiam quamcunque materialem habere partes integrales extensas, non extensione locali, nec quantitatis; sed solum entitativa. Ita Doctor in secundo dist. 12. quaest. 2. & ibi omnes eius discipuli, estque communis apud probatores Thomistas: pro qua notandum primò, certum esse apud omnes substantiam quantitatem affectam habere partes substantiales, & esse diuisibilem: cum enim lignum diuiditur; non solum pars quantitatis diuiditur; sed etiam pars substantia, materia, nempe, & forme ligni: nam aliter inextensa, & indiuisibilis maneret: sicut anima rationalis, quæ absciso pede, non abscinditur, & ultra: quia si diuiso ligno, non diuiditur ipsa substantia: vel ergo ipsa substantia manet in vtraque parte: & sic idem corpus erit in pluribus locis distantibus, quod naturaliter fieri nequit, vel de nouo producit substantia in alia parte: quod non minus repugnat: nam diuisio non generat de nouo substantiam: sed vnâ ab alia separat. Quare certum est quod substantia sub quantitate diuiditur, qui enim bibit ex flumine aquam, non totam substantiam aque fluminis bibit, sed partem tantum.

2. Nota.

Secundo notandum: partes substantiales ipsius substantia se ipsis à parte rei esse distinctas à quantitate, & à partibus ipsius: substantia enim à quantitate realiter distinguitur: sed partes substantiales sunt substantia: nam substantia integraliter ex substantijs componitur: ergo tales partes realiter à partibus quantitatis distinguuntur. Quod vero se ipsis, seu per suas proprias entitates, distinguuntur, liquet: si enim vnâ pars substantia à parte quantitatis sibi correspondente distinguitur realiter per aliud, seu per aliam quantitatem: ab illo alio per aliud distinguenda erit: & sic in infinitum: si vero ab illo alio per se ipsam distinguitur: ergo eadem ratione ab illa parte quantitatis.

1. Conclus.

Dicendum primò. Substantia materialis, quâtitate seclusa, non habet formalem extensionem partium integralium, per quam formaliter sit diuisibilis, & loco commensurata. Hæc statuitur contra tertiam sententiam: eamque tenent omnes pro quarta sententia relati, quos citat, & sequitur Pater Araujo quinto Metaph. q. 3. art. 1. in dubio appendice: & probatur primo ratione eius; extensio formalis partium integralium, modo explicato, est effectus formalis quantitatis: ergo nequit ipsam quantitatem præuenire: consequentia patet: quia nullus effectus formalis præuenit suam formam: antecedens vero probatur: nam pars, & totalitas, se inferunt: unde sicut duplex est totalitas: altera essentialis, & altera quantitatis; secundum primam, totum est in toto, & in qualibet parte: secundum vero secundam, totum est in toto, sed non in qualibet parte, sed pars in parte: ita duplex est pars, alia essentialis: & alia quantitativa: ergo illa præcedit istam: ergo exte-

sio formalis, qua vnâ pars dicitur esse extra aliam formaliter secundum locum, & situm, ac diuisibilitatem, nõ nisi à quantitate provenire potest: ergo substantia ex se talem partium extensionem non habet.

Secundo arguit ipse: quantitas est primum principium diuisionis in partes eiusdem rationis: idem enim ex se partium diuisione, & extensione, separata gaudet: ergo ratione quantitatis conuenit substantia talis diuisio, & extensio.

Tertio probatur conclusio à Basilio in secundo dist. 12. quaest. 3. artic. 3. sed ista positio. Impossibile est: quod per naturam duo corpora sint in eodem loco: sed si substantia, vel forma extensa, haberet aliam extensionem à quantitate sibi propriam; sequeretur, quod duo corpora essent simul: quia longum, & latum, & profundum, vtrique formaliter conueniret, scilicet, substantia, & quantitatis: & vtraque distinctas corporeitates haberet: ergo, &c.

Quarto, talis extensio assignata est prior quantitate: ergo iam substantia est extensa formaliter ante quantitatem: ergo superfluit quantitas, ad quid enim ponitur?

2. Concl.

Dicendum Secundo. Quælibet substantia extensibilis per quantitatem habet ex se partes integrales alterius rationis à partibus quantitatis: ita vt substantia capitis sit alia entitativa à substantia pedis: sicut nunc est defacto sub quantitate: quæ extensio radicalis, seu entitativa dicitur, qua omnes partes, non solum entitativæ inter se realiter distinguuntur: sed ordinatim sunt vnite; ita vt ordinem inter se seruent; & non sint confusæ, & immediate copulatæ: hæc est Doctoris, & suorum, ac omnium pro quarta sententia relatorum; contra Auctores primæ, & secundæ sententia: & quoad primam partem probatur primo. Substantia est subiectum quantitatis: ergo saltem præcedit natura quantitatem: sed sicut tota substantia est subiectum totius quantitatis: sic partes substantia sunt subiectum partium quantitatis: ergo sicut tota substantia præcedit totam quantitatem: sic partes substantia partes quantitatis: ac per consequens substantia habet partes reales entitativæ extensas.

Nec valet dicere; hoc concludere de partibus quoad entitatem; sed non quoad esse partium: quia esse partem supra entitatem substantia nihil addit; nisi vel relationem aliquam, quæ est posterior vnione partium inter se; vel dicit ipsam partium vnionem, quæ necessario quantitatem antecedit.

Secundo, quod Deus immediate creare potest, immediate potest illud conseruare, eo modo, quo illud creat: sed Deus potest immediate creare substantiam materialem extensam entitativæ absque quantitate: ergo poterit eam, vt sic, absque quantitate conseruare. Probo in primis: tum quia Deo non est denegandum, quod agenti naturali conceditur: sed agens naturale producit substantiam extensam sub quantitate: ergo Deus poterit illam creare, & conseruare, sine quantitate: cum ad hoc quantitate non egeat. Tum etiam, quia potest defacto quantitatem à substantia separare, & eam conseruare: vt in Eucha-

charistia patet: ergo poterit substantiam à quantitate separatam, vt existentem, conseruare, illa extensione entitativa, qua erat sub quantitate: ergo talis substantia sic conseruata est entitativæ extensa.

Tertio, detur casus: quod Deus in instanti separaret quantitatem à substantia totius maris Oceani: quod Deo est possibile: in quæro: An substantia illa sit extensa entitativæ: An non? Si primum: haberet intentum: si secundum: ergo partes illæ substantia ad punctum fluxerunt: vt prima sententia vult: tunc ponatur punctus esse centrum triginta palmorum: partes tunc extrema, quæ erant sub quantitate maris Hispanensis; & alia, quæ erant sub quantitate maris Gallia; & aliquid spacium per transire debet: & tunc deferrentur per motum, & in tempore: nam motus non fit in instanti: ergo, illo motu durante, vnâ pars substantia mobilis non esset alia realiter: ergo entitativæ distincta: ergo, &c. Alia argumenta vide apud Hieronymum de Valera lib. 2. dist. 4. quaest. 2. facta enim sufficiunt.

Secunda pars, nempe, quod tales partes ordinem realem inter se in illo priori seruent, contra secundam sententiam probatur: quantitas, cum aduenit substantia, non transmutat partes eius, sed eas informat, eo modo, quo illas inuenit: ergo tales partes entitativæ extensa inter se ordinem seruant: alioquin sub quantitate confusæ remanerent.

Secundo, partes substantia sub quantitate ordinatæ sunt vnitæ ordine quodam: ergo & sublata quantitate. Consequentia patet: quia per quantitatis separationem nõ producitur aliquis substantialis ordo, quo substantia capitis conseruetur in loco superiori: & substantia pedis inferiori: ergo talem ordinem habent ex se, quantitate seclusa. Quando enim quantitas separatur, tantum auferitur illius vnio cum substantia: non vero vnio partium substantia ordinata.

Ad argu. 1. Sentent.

Ad argumentum primæ sententia respondetur, quod omnia illa ibi assignata in quavis materiali substantia reperiuntur, nõ quantitativæ, sed entitativæ: ad Arist. dico: quod negat à substantia sine quantitate diuisibilitatem in partes quantitativas, quæ diuisibiles, sicut & impenetrabilis, quantitatem comitatur: obiectum autem Mathematicæ est extensio in ordine ad locum, quæ quantitativa est: & terminus augmentationis est magnitudo dumtaxat quantitativa.

Dub. Resp.

Si autem quæras: An Deus possit vnâ partem illius substantia ab alia separare? Respondeo: quod sic: sed talis separatio non est proprie diuisio: nam hæc non fit proprie, nisi ratione quantitatis.

Ad primam. 2. Sentent.

Ad primam pro secunda sententia dico, quod extensio quantitativa habet suum effectum formalem distinctum ab effectu extensionis entitativæ: vt art. præcedente vidimus.

Ad secundam.

Ad secundam nego sequellam: nam plures dimensiones entitativas esse in eodem loco, & adinuicem naturaliter penetrari, non est in conueniens: imo, necessarium est: esset tamen inconueniens plures dimensiones quantitativas esse naturaliter in eodem loco: & de istis tantum pro-

cedit argumentum, & absurdum contra Nominales illatum.

Ad primam. 3. Sententia

Ad argumenta tertie sententia respondeatur: ad primam, quod illa substantia separata esset in loco distinctiue: non vero, localiter coextensa. Itaque est extensa in se; inextensa vero, & indiuisibilis, in ordine ad locum: non positiue: sicut Angelus, sed negatiue: quia actu non extenditur localiter: est tamen apta ex se, vt extendatur. De quo latius in Prædicamento, vbi. Et per hoc ad confirmationem: esset enim talis substantia in loco distinctiue, tota in toto, & tota in qualibet parte spacij, præsentia quadam reali, qua præsens realiter dicitur spacio: non tamē est ibi localiter, & coextensiuæ: pro quo vide Doct. in quarto dist. 10. quaest. 1. & dico ergo aliter.

Ad Confirma. ma.

Ad secundam.

Ad secundum, quod in illo casu partes ille manerent inter se copulatæ entitativæ: & vnâ esset alteri præsens, non præsentia locali, & extensiuæ, sed solum entitativa.

A R T I C. III.

An quantitas realiter distinguatur à re quanta?

Ad exactam prædictorum intelligentiam, & vt quantitas essentialis magis eluceat, hanc difficultatem examinare necesse est: in qua est prima sententia Nominatum, Stoicorum placitum, iam multis annis sepultum, suscitatum, qui, cum suo Magistro Ochamo in Logica super istud caput, & quaest. 4. quodlib. & in tractatu de Eucharistia, tenent; quantitatem non esse aliquod speciale accidens realiter diuersum à rebus materialibus, siue substantia sint, siue accidentia: sed esse idem essentialiter cum ipsis, licet non sit de earum conceptu quidditatiuo, sed quid distinctum formaliter ex natura rei ab ipsis, inclusum tamen in suis conceptibus quidditatiuis; prout corporeæ sunt.

1. Sententia

Vnde in quavis re physica tot, inquirunt, esse quantitates, quot sunt entia realiter distincta. Quam sententiam sic explicatam probant primo: illud, quod per suam essentialitatem habet partem, & partem, est idem essentialiter cum quantitate, vel diuisione: sed substantia corporea est huiusmodi: quia si non: tunc materia corporea indifferens est ad formam spiritualem, vel corporalem: & sic cum forma spiritali poterit constituere vnum spiritum: nec sibi repugnat hoc: quia non habet partem, & partem, ex ratione essentiali sua; sicut tu dicis: hoc autem est falsum: ergo, &c.

1. Argum.

Secundo, illud, quod de se, & de sua ratione, est subiectum formæ corporeæ, vel partibilis, est partibile, & habens partem, & partem: quia quod de se non habet partem, & partem, sed est impartibile; non potest esse subiectum formæ partibilis: sicut nec spirituale alicuius corporalis, sed materia est huiusmodi: ergo.

2. Argum.

Tertio, illud, quod ex se non est partibile, est ex se impartibile, & indiuisibile: & per consequens sibi repugnat habere partes: ergo si substantia corpo-

3. Argum.



corporea ex se non habet partes, & ex se non est quanta: sequitur, quod nullo superueniente, possit esse partibilis, nec etiam possit esse quanta: quia nec ex se ipsa, nec ex adyto: hoc autem est falsum: ergo, &c.

4. Argum. Quarto, illud, quod de se non est quantum, cuiuscunque diuisibili subest; oportet, quod toti subest totum, & cuiuslibet parti: sed substantia corporea non subest tota cuiuslibet parti formæ diuisibilis, & tota toti: ut patet: ergo ex se ipsa, & essentialiter, habet partes: sed hoc est esse quantum, & extensum: quia quantitas est, cui primo conuenit habere partem, & partem, eiusdem rationis, ex quinto Metaph. ergo.

2. Sentent. Doctoris. Nota. Secunda, & opposita sententia est communis omnium Realium cum Doctore quinto Metaph. quæst. 9. & in secundo sent. dist. 2. quæst. 9. pro qua breuiter notandum, quod nec substantia, nec aliquod accidens materiale est de se quantum, & extensum, quætitatiue præter ipsam quætitatem: sola enim quantitas secundum se, & essentialiter, est quanta: reliqua uero solum accidentaliter, ac denominatiue: unde quantum, & quantitas, idem profus important, in sensu materiali: ut supra art. 1. diximus.

Conclusio. Dicendum: quantitas realiter distinguitur à quacunque re, quæ quanta denominatur: probatur primo, ex Arist. primo Physicorum text. 15. contra Parmenidem, & Melisum: si igitur substantia est, & quantum est: duo, & non vnum est. Et quarto Physicorum text. 76. ubi inquit: quantitas & substantia, duo Prædicamenta sunt impermixta, & separata. Probatur etiam per August. quinto de Trinitate, ubi probat: quod magnitudo, & figura, & color, non sunt idem: quia vno variato, vel non manente, manet aliud: & similiter etiam est de substantia, & quantitate. Patet etiam per Boetium de Trinitate ponentem substantiam, & quantitatem, & qualitatem, esse tres res absolutas realiter & essentialiter distinctas.

Secundo, probatur ratione: illa non sunt essentialiter idem, quorum vnum est substantia, & reliquum est accidens: sed substantia corporea est substantia, & quantitas est accidens: ergo.

Tertio, illa non sunt essentialiter idem, quorum vnum potest existere in re, & in effectu sine alio: & è conuerso: sed quantitas substantiæ corporeæ potest esse, non existente ipsa substantia: ut patet in Eucharistia: ubi non manente substantia panis, manet quantitas: & è contra, potest esse substantia, sine quantitate: ergo.

Quarto, illa non sunt essentialiter idem, quorum vnum manet idem, & alterum variatur, sed planum est, quod per motum rarefactionis quantitas augetur: ita quod plus est ibi de quantitate: quam prius, & non est ibi plus de materia, vel substantia corporea, quam ante: & similiter de motu condensationis suo modo: ergo, &c.

Quinto, illud, quod præsupponitur, ut subiectum mutationis, ad aliquam formam, distinguitur essentialiter ab illa forma; sicut & ab illa mutatione: sed substantia corporea præsupponitur, ut subiectum, in mutatione ad quantitatem, puta in augmento: ergo, &c.

Sexto, si substantia corporea est idem essen-

tialiter cum quantitate: ergo & generatio cum augmento pari ratione est vna mutatio: & tunc quidquid generatur, augmentatur: & è conuerso: hoc autem est falsum: ergo.

Vltimo, si substantia extensa est idem cum sua quantitate: pari ratione quælibet forma extensa: & sic quælibet habet propriam quantitatem: ergo cum in eodem subiecto sint simul plures formæ extensæ: sicut color, sapor, &c. & subiectum ipsum, & omnia, sint in eodem loco: sequitur, quod plura corpora sint naturaliter in eodem loco: quod est contra miraculum de Natiuitate Christi, & Resurrectione, & Introitu eius ad Discipulos, clausis ianuis: ergo, &c.

Ad argumenta Nominalium vnica solutione fit satis: fatemur enim substantiam ex se habere partes extensas extensione entitatiua: quæ sufficit ad omnia in argumentis postulata: & hæc pro ista quæstione sufficiant: nam difficultates, quæ moueri possent de vnitatis, quæ est principium numeri; & de punctis, an component lineam: & an linea, superficies, & corpus, sint species quantitatis continuæ: & an numerus sit vnum ens per se; & vera species quantitatis discretæ, partim in sequentibus quæstionibus, & partim in Physica, elucidabuntur.

Ad argu.

QVÆST. II.

An oratio sit quantitas discreta?

Est autem discreta quantitas, ut Numerus, & Oratio. Cap. eod.



VERITVR: AN ORATIO SIT QUANTITAS? Videtur quod nõ: quia non oratio in scripto: illa enim est substantia: non in mente: quia illa est in non quanto, & neutra mensurat per se: & Arist. exponit se de neutra harum intelligere: non oratio in voce: quia illa est per se sensibilis: quia vox: igitur est in tertia specie qualitatis.

Ad oppositum est Aristoteles.

Quæritur: vtrum Oratio sit quantitas discreta? Quod non videtur: quia breue, & longum, sunt differentie quantitatis continuæ: Oratio mensuratur secundum has, per Arist. in littera: mensura-

tur

tur enim syllaba breuis, & longa: igitur &c.

Dicitur, quod syllaba est breuis, & longa: non oratio.

Contra: tunc continuu est per se pars discreti.

Item, sumatur maior sic: omne per se mensurans secundum has differentias, breue, & longum, est continuu: oratio est huiusmodi: licet non sit longa.

Item, si esset quantitas discreta, non videretur differre specie, à numero: quia in nulla differentia specificata.

Dicitur: quod quantitas discreta, vt in materia permanente, est numerus: quia numerus causatur ex diuisione continui: vt in successiuâ, est oratio: quia orationis nulla pars permanet.

Contra: hoc concedit propositum, quia differentia secundum speciem est differentia formalis: hæc si sic tantu differant, in nullo formali differunt: igitur nõ specie.

Item, falsum dicitur: quia successio, & permanentia, sunt differentie posteriores motu, & quiete: igitur & ente naturali: in quantum naturale: sed quantitas, quantum ad totum genus, est naturaliter prius ente naturali: in quantum naturale: igitur successio, & permanentia, sunt multo posteriora toto genere quantitatis: igitur non sunt differentie specierum in hoc genere.

Item, numerus applicatur materiæ successiuæ: sicut permanenti: igitur non omnis numerus est quantitas in materia permanente: antecedes patet exemplo: vt dicimus: duo tempora, duo dies, & ratione: quia continuu aliquod est successiuum: igitur ex eius diuisione causatur numerus.

Item, tunc non differret Oratio à tempore, quod est numerus motus: & ita quantitas discreta in materia successiuâ.

Ad oppositum est Aristoteles.

Dicendum primò. Ad primum quæsitum: quod oratio est quantitas, propter auctoritatem Aristot. quia syllaba mensuratur breuis, & longa: igitur huius est mensura alia per se: illud est oratio, quæ fit cum voce prolata: illam autem dico habere discretionem appropriatam orationi, per eius differentiam specificam; quæ differentia, nec scripta est; nec pro-

Alias nom.

lata, nec in mente, nec actus preferentis: quia ille mensuratur tempore, nec partes discretæ, sed discretio, non est communis numero, & orationi: sed orationi appropriata.

Ad secundum quæsitum dicendum: quod est quantitas discreta: quia partes eius ad nullum commune terminum copulantur: quælibet enim syllaba est ab alia diuisa: nec actus preferentis, nec significatum eas continuat: quia terminus per se continuans partes quantitatis non est essentialiter extra illas: sed hæc duo sunt essentialiter extra partes orationis. Similiter hæc oratio potest esse vbi significatum non est: vt coniungendo voces non significatiuas: & ibi nullum est significatum.

Ad primum argumentum potest dici: quod longum, & breue: æquiuocè conueniunt continuo, & discretor: huic, scilicet, continuo; proprie: illi transumptiue: omne igitur mensurans per se, secundum hoc proprie sumptum, est continuu: huiusmodi non est oratio: æquiuoca enim est longitudo syllabæ, & mensurari à linea.

Ad secundum dico: quod oratio essentialiter difert à numero, & à quacunque specie quantitatis, non tantum differentia materiali, sed formali, & specifica: illa tamen non est nota: imo vix aliquis speciei specialissimæ est nobis differentia nota: quia si esset, non posset esse verum, quod dicitur secundo Posteriorum: quod quælibet pars definitionis debet esse in plus; omnes autem in æquo: hoc autem non conuideret; si vltima differentia esset nota: illa enim, cum sumatur à propria forma speciei, nullo modo est in plus speciei: igitur illud dictum est verum: quia differentie vltimæ fore omnium diffiniendorum ignote sunt.

Text. com. 17.

Summa textus.

DIVISIT Philosophus quantitatem in continuam, & discretam; & illam, in numerum, & orationem; probans primo hanc subdiuisionem; quam de quantitate continuæ tradit; quem ordinem insequens Doctor, postquam determinauit in quæstione præcedente quantitatem in commune esse genus vnum generalissimum, vt ibi tradita magis eluceant; in præsentia quæstione, quæ ex duabus (sicut & præcedens) integratur, inquit: An ora-

ora.